# DE OPHTHALMOBLENNORRHOEA GONORRHOICA ADNEXA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
*DIE XV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIV.*
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**JOAN. HENR. ED. LOHMEYER**
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. MEINECKE, MED. ET CHIR. DR.
C. STICH, MED. ET CHIR. DR.
G. THIENEMANN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

Cogitanti mihi, de quo dissertatiunculam scriberem, pluries mihi contigit, ut ophthalmiae gonorrhoicae decursum proh dolor! infaustum observarem; licitum igitur mihi sit, ut ex illis observationibus eligam, quae ni fallor memoratu digna est, quin Tibi, lector benevole, nova pollicear.

Ophthalmia gonorrhoica, ophthalmoblennorrhoea, conjunctivitis syphilitica, iritis medorrhoica morbus oculo perniciosissimus haberi potest. In libris veterum frustra descriptionem acquirimus, quod nemini mirum videbitur, qui originem syphilidis secundum opiniones neotericorum eorumque commenta cognoscit. *St. Yves* primus praetulit et descripsit, quem dein, si *V. Berlinghieri* excipias, omnes medici secuti sunt, quin vero de ratione, qua oriatur morbus, consentirent.

*Astruc*, *Girtanner*, *Wendt* consensum urethram inflammatam inter et oculum esse, quo ejus irritatio provocetur credunt, alii (*Horn*, *Spangenberg*, *Vetch*, *Scarpa*), localem infectionem et contagii syphilitici immediatam ad palpebras applicationem causam unicam accusavere. *Bell* et alii persuasissimum sibi habent solum per suppressionem gonorrhoae in individuis ea affectis, uno verbo, per metastasin effici posse; alii denique morbi originem ex utraque causa deducunt, dum addunt metastaticam multo esse periculosiorem, et non solum conjunctivam sed bulbum ipsum infectare (*Frank*, *Beer*, *Scarpa*, *Walther*, *Spindler*, *Weller*). Quam sententiam plus minusve falsam observationes ab *Horn* et *Bell* factae et casus quem edam demonstrant. Sin applicatio materiei localis causam morbi praeberet, multo frequentius oculum devastantem videremus, et qua ratione, addit *Handschuh*, inflammationis aliorum organorum, epidydymidis, prostatae, genu ortus explicare possis? num etiam hisce partibus materies virulenta appropinquat? Dein *Spangenberg* metastasin negavit, quod multis in casibus gonorrhoea supprimitur, quin ophthalmoblennorrhoea sequatur. Quod, ne

infitias ineam, ingenue fatear; attamen ubi semper unam eandemque sequelam in alio morbo videmus? gonorrhoea alio exitu terminari potest, v. c. quod frequentissimum, orchitide, si suppressa erat.

*Juengken* ophthalmiam gonorrhoicam in primariam et secundariam divisit, priorique per metastasin et localem materiei applicationem ortam, alteri blennorrhoeam adnumeravit, quae oculum jam ab aliqua inflammatione, catarrhali, vel quod pessimum, catarrhali-rheumatica affectum invadit, qua fit ut inflammatio in blennorrhoeam mutatur; an vero tali in casu gonorrhoea supprimatur nec ne, *Juengken* non definivit; sine dubio, nam metastaticam vocat. Quamvis multi existunt libri qui doctrinam de oculorum morbis tractant, in plurimis tamen symptomatologia aeque ac aetiologia tenuis invenitur, atque de medendi ratione medici inter se dissentiunt. Neve longius sim neve exemplum omittam, descriptionem qualem *Rosas* dedit verbotenus addam: *Die* Ophthalmoblennorrhoea syphilitica *beobachtet man am häufigsten bei jungen Individuen, die nicht allein ihre* Lues *vernachlässigt, sonderu sich auch nebstbei durch*

*Ausschweifungen aller Art den Scorbut zugezogen haben. Die unbedeutendsten Schädlichkeiten, die sonst nur ein Triefauge zu erzeugen pflegen, veranlassen schon bei so bewandten Umständen einen verheerenden Augenlied- und Augentripper, der den Namen der syphilitisch-scorbutischen* Ophthalmoblennorrhoea *erhalten hat. An den Augenliedrändern erhebt sich eine bläulich-rothe gegen die Berührung etwas empfindliche Geschwulst, welche ein lästiges Jucken und Brennen verursacht und schnell am Umfange gewinnt. Gleichzeitig färbt sich die Bindehaut der* Sclerotica *violett und schwillt blasenartig zu mehreren gröfsern und kleinern Wülsten rings um den Hornhautrand an, so zwar, dafs sie von den Augenliedern nicht mehr bedeckt werden kann, und das untere Augenlied ein schmutzig bläulich rothes, schwammiges, leicht blutendes* Ectropium *bildet, hierbei ist der Schleimflufs stark, das Auge gegen das Licht nicht besonders empfindlich und nebst den Merkmalen der* Lues *auch die des Scorbutes deutlich ausgesprochen.*

Haec sunt verba quibus *Rosas* ophthalmiam gonorrhoicam insignit, cuique tamen medico re-

linquo, num ex his morbi naturam et indolem dignoscat. Transamussim collecta sunt symptomata, pathogenia et natura omnino neglecta. *Juengken* primus magna cum perspicuitate ophthalmoblennorrhoearum originem illustravit, et stadia certa posuit, quae sunt: stadium hydorrhoeae, phlegmatorrhoeae et pyorrhoeae. Antequam de signis morbi disseram, quaero cur tam raro malum observetur, quamvis tamen urethroblennorrhoea frequentissime infestet viros? Priori tempori immo quoque recentiori *(John Vetch)* localis infectio a viro ipso gonorrhoea laborante per immediatam ad suas palpebras applicationem negabatur et defendebatur: *Uebertragung des Trippergiftes auf das Auge kann nur dann mit Erfolg statt finden, wenn das Gift von einem fremden Körper genommen wird.* Observatio quotidiana contrarium docuit. Non majorem fidem meretur, si auctores explicant, in corpus jam contagio aliquo virus idem inseri, i. e. hominem jam infectum se ipsum in alia corporis parte inficere nequire. Probabilius ex illo derivari posse videtur, quod non omnes urethroblennorrhoeae characterem syphiliticum praebent, alioquin enim in

plurimis casibus oculi in periculo esse debeant, nam applicatio immediata sine dubio frequentior est.

Morbum divido in ophthalmoblennorrhoeam idiopathicam, sive illam, quae per translationem materiei gonorrhoicae ad oculum oritur; metastaticam, quae secretione in urethra suppressa repente oculum invasit; secundariam, quando ophthalmia cujusvis indolis characterem gonorrhoicum urethroblennorrhoea praesente accipit, et chronicam, quae observatnr, si praedispositione favente, gonorrhoea in stadio criseos supprimitur. Generatim plures viros quam foeminas correptos videmus, quin sexus sequior immunis evadat *(Schwediaur)*.

Stadium hydorrhoeae. Sex vel viginti et quatuor horis post gonorrhoeae suppressionem praeterlapsis, aegrotus pruritum in margine palpebrae sentit, qui paulo post ad dolorem initio prementem, dein lancinantem crescit, cui sensus quasi ab illapsa inter palpebras arena productus, rubor conjunctivae tam palpebrarum quam scleroticae et photophobia sat notabilis accedunt. Lacrymae fervidae periodice atque effusim oculo defluunt, floccis mucosis et densis mixtae. Si palpebram in-

feriorem retrorsum vertas, corpus papillare invenies, quod celeriter crescit. Oculus sanus jam initio per consensum afficitur photophobia et lacrymarum fluxu. Symptomata omnia vespere exacerbantur et febri synochica stipantur.

Stadium phlegmatorrhoeae. Tumor palpebrarum praesertim superioris valde augetur (oedema calidum adest), materies mucosa, albido-flava, magna in copia oculo defluit, et in crustas flavido-virides durescit; corpus papillare conjunctivam palpebrae omni in ambitu amplectitur, conjunctiva ipsa inflammatur, et rubicundior corneam aggeris instar cingit, praeterea dirissimi oculi et capitis dolores, photophobia insignis, et epiphora larga aegrotum infestant. Haud raro nunc jam ulcera corneam obsident, vel a materie virulenta, vel a lue universali orta, dolor ratione vehementiae admodum auctus, et ad caput extensus somnum fugat.

Ocius seriusve morbus in tertium stadium, pyorrhoeae transit. Conjunctiva palpebrarum scleroticaeque mucum densum, puriformem, viridem secernere incipit, qui tanta excernitur copia, ut etiamsi leniter tantum palpebrae di-

ducantur, rivi adinstar super genas defluat, easque magis erodat, ac uti mucus gonorrhoeae virulentae inficit. Dolores et photophobia summum gradum adipiscuntur, palpebra superior intumefacta inferiorem obtegit, neque ab aegroto neque a medico diduci potest; paulatim denique corpus papillare corneae quoque adnatam corripit. Si oculus aperiri potest, iris tumefacta antrorsum pulsa, sanguine impleta obvenit, pupilla nonnihil contracta apparet, humor aqueus fit lacteus, corneae lamellae solvuntur, atque ipsa intra breve tempus in vorticem purulentum convertitur, staphyloma iridis racemosum oritur, totusque bulbus suppuratione destruitur. Non raro fit, ut nunc processus destructivus alterum quoque occupet oculum et deleat.

Decursus ophthalmoblennorrhoeae plerumque jam in quatuor diebus finitur, rarius fit, ut lentior et minus saevior observetur, idque tunc, ubi gonorrhoea in urethra non omnino cessat, et ophthalmia post urethroblennorrhoeam jam ex longiore tempore suppressam, oculum ingreditur, insuper hae diversitates in decursu pendent a complicatione morbi cum ophthalmia catarrhali vel catarrhali-rheumatica,

ab aegrotantium constitutione vitaeque genere, a therapia adhibita aliisque circumstantiis. Hoc rapido decursu gonorrhoica distinguitur ophthalmia ab aegyptiaca, praesertim si etiam respicias, hancce utrumque oculum infestare et mucum serius demum densiorem secerni.

### Ophthalmoblennorrhoea idiopathica.

Duplici ratione gigni potest, prouti quis urethroblennorrhoea affectus immediate, digitis vel linteo inquinatis, materiem gonorrhoicam oculo inserit, vel homo sanus virus alius affecti oculis suis impertit, quem casum *Delpech* narrat; insuper hoc quoque fieri potest, dum foetus inter partum partes genitales foeminae transit. Mitior plerumque evadit, conjunctivam solam occupat, et raro omnia tria stadia percurrit, sed tertio plerumque finitur; blennorrhoea in urethra minime supprimitur, vel tunc demum, si ophthalmia pervehemens facta fuerat, quo in casu pari modo ac in metastatica visus deleri potest, quod ex historiis ab *Horn* allatis satis elucet. Morbus plus minusve minitari periculum, secundum urethroblennorrhoeae stadium, quisque intelliget, qui ex hoc materiei indolem variare, scit.

Ophthalmoblennorrhoea neonatorum gonorrhoica ab illa adultorum minime differt, memorari vero oportet, infantes e vita discedere posse.

Restat adhuc, ut de ophthalmoblennorrhoea chronica pauca verba faciam. De ratione qua provocetur dissentiunt auctores. *Juengken* illam nomine chronicae insignit, quae homines debiles, cachecticos, praesertim scrophulosos invadit, atque longius intra tempus ex hac causa percurrit, et stadium secundum plerumque non superat. *Eisenmann* contra urethroblennorrhoeam ultimo in stadio, illo criseos suppressam sequi chronicam, tradidit. Non semper statim, sed frequens quatuordecim post dies conjunctivam palpebrarum et glandulas Meibomii affligit; raroque oculi quoque conjunctivam infestat.

Photophobia, inflammationis vehementia, indoles atque secreti copia valde variant. Etiamsi haec ophthalmia sibi relicta glaucoma atque oculi destructionem totalem afferre potest, exitus attamen hicce haud frequens plangitur, sed morbum per annos perseverantem videmus, quin visus deleatur; insuper addam,

eum perfacile cum ophthalmiis psoricis atque herpeticis commutari posse.

Prognosis. Prognosin haec ophthalmia infaustam habet, cum in oculi perniciem et organicam vastationem prona admodum sit. Spes aliqua visus recuperandi affulget, si ophthalmoblennorrhoea originem a locali contactu diducit, discriminis tamen plena, pertinax, et non minus formidabilis illa est, quae neonatos infestat, pariterque si materies gonorrhoica ex alius urethra ad alius oculum deportabatur. Saevior periculosiorque est metastasi orta, si gonorrhoea per partium genitalium refrigerium subitaneum, per injectiones irritantes balsamicas, per mechanicam colis constrictionem, passim propterea institui solitam, ut vestium lintearum contaminatio impediatur, — suppressa fuit. Periculosissima est, quae ophthalmiae catarrhali-rheumaticae supervenit, difficillime discutitur, nisi protinus efficacissima curatio adhibeatur, rapidissime increscit, oculique bulbum destruit, citissime obcoecat, et tunc proh dolor inflammatio ab alio oculo ad alium migrat. De ophthalmoblennorrhoeae chronicae prognosi jam disserui. Generatim adhuc addam morbum initio et antequam muci

puriformis cursus se insinuat, auxiliis requisitis interdum feliciter vinci posse. Ubi vero abnormis secretio mucosa initium jam cepit, macularum corneae ortus etiam convenientissima therapia impediri nequit, et quando corneae suppuratio insequitur, visus in perpetuum amittitur.

Curatio. Omnes consentiunt auctores *Spangenberg* primum fuisse, qui ophthalmoblennorrhoeam bono cum successu curaverit. *Astruc* oleum caryophyllorum oculo illininiendum commendavit, et alii alia irritantia adhibuerunt.

Indicationes quibus satisfieri oportet, hae sunt: 1) Causam amovere, 2) decursum ophthalmoblennorrhoeae coërcere, 3) et secreti vim virulenti ad oculum tollere. Curatio tamen secundum ortum varia esse debet. Si morbus vicariam gonorrhoeae suppressae actionem exhibet, apprime necessarium est, suppressam urethroblennorrhoeam omni studio et sine dilatione revocare, si enim hoc tempestive fiat, oculi affectio insigniter mitigatur, brevi cessat, ac sine noxa posthuma terminatur. Remedia quibus hoc adipisci voluerunt medici pervaria sunt, sed praetermitto,

quae illi in prioribus temporibus proposuerunt. *Eisenmann* gonorrhoeam in urethra per insitionem viri allicere minime suadet, sed potius hunc in finem cataplasmata emollientia narcotica, praesertim e herba Belladonnae et Hyoscyami cum partibus specierum emollientium aequalibus ad perinaeum admota, fomentationes ad partes genitales, injectiones oleosas tepidas in urethram immissas aliaque id genus gloriatur. Sin vero inflammatio genitalium pervehemens secretionem urethrae coërcuit, hirudines perinaeo adplicatas, scarificationes, pediluvia acria, quibus semem Sinapeos vel Kali causticum admixta sunt, et clysmata emollientia in usum vocat. Ab hac sententia dissentit *Juengken*, qui merito affert, valde difficile esse urethram ita irritatu, ut materiem gonorrhoicam denuo secerneret, et pleraque remedia commendata v. c. cereolos ex remediis irritantibus confectos, ac turandas cum unguento acri illinitas, solutione mercurii sublimati corrosivi aut lapidis infernalis vel unguento rubro fortiori tinctas atque urethrae impositas, dein fomentationes partium genitalium et potum frequentem mucilagineum fere semper incassum adhiberi, inserere vero

virus ex alio gonorrhoico desumtum discriminis magni expers non esse. Tutissime revocari blennorrhoeam in urethra, ubi injectiones quod primus *Barton* commendavit, ex solutione Tartari stibiati (gr. ij, iij vel gr. vj ad ℥j Aquae destillatae) pluries per diem adhiberentur, donec urethra inflammata mucum secerneret; insuper virtutem hujusce medelae augeri tepidis semicupiis vel balneis localibus. In eundem finem jam *Scarpa* injectiones alkalinas laudavit.

Therapia exigit, ut statim sub morbi exordium larga venae vel arteriae temporalis sectione, hirudinibus multis applicatis et usu calomelanos plena manu interne adhibiti impetus frangatur. *Eisenmann* minime consentio, qui sanguinis missionem rarissime necessariam habet, tamdiu ac gonorrhoea revocata est, plumbum aceticum in aqua perfrigida solutum oculisque impositum praescribit, dein adnatam ipsam, quando inflammata ita intumescit, ut oculum compressione quasi suffocet, altis et crebris incisionibus pertundit, immo si sic non detumescat, et efficatiore auxilio opus sit, eam exscindendam jubet, dum *Astruc*, *Burserium*, *Spangenberg* ae-

mulatur. Post hoc ad Cantharides properat, quas in forma tincturae inter scapulas applicat, loco emplastri vesicatorii ad regionem supraorbitalem secundum regulas *Spangenberg*. Usu magis comprobatum est unguentum Tartari stibiati. Etiamsi *Eisenmann* vituperat, mercurium gummosum adhibuisse *Plenk*, temporis tamen recentioris observationes docuere, Mercurium, Guajacum et Sassaparillam virus venereum infringere atque expellere, inunctionesque praesertim mercuriales illico et audacter administratas omnem certamque curationem absolvere; dein non alienum videtur, depulso jam morbo jubere, Hydrargyrum minori in dosi per aliquot tempus assumi, curareque ut gonorrhoea non statim supprimatur; etiamsi permulti usum Hydrargyri hoc in morbo plane rejiciunt v. c. *Rosas*. Ophthalmoblennorrhoea plane sublata remedia oculo ipsi applicita efficacia sunt, inter quae excellit collyrium leniter adstringens et roborans, quod in oculum instilletur. Plura laudata invenimus v. c. ab *Spangenberg*, aquam ophthalmicam *Conradii:* ℞ Hydrarg. mur. corros. gr. j, Aq. Rosar. ℥vj, Tinct. Opii crocat. ʒiij. M. D. — Solutionem Kali cau-

stici vel calcariae chlorinicae ab *Eisenmann:* ℞ Kali caustici gr. j, Aq. Rosarum ℥vj, Extr. Belladonn. gr. vj; — Collyrium *Schmidtii:* ℞ Aquae destillat. ℥vj, Zinc. sulphuric. ℈j, Acet. saturnin. ʒß, Spirit. vin. camphorat. ʒij. — Ubi maculae pelluciditatem corneae diminuere, secundum *Dupuytren* venaesectiones, laxantia, setaceum ad nucham adhibeantur, in oculum pulvis e Tut. praeparat., Sacchar. alb., Calomelane, singulorum partibus aequalibus fletur. Eundem effectum praestare unguentum ophthalmicum *Rustii*, *Eisenmann* affirmat.

Praetermitti non debet, Aquam laurocerasi ore haustam permultum ad morbum devincendum valere. Eandem curationem postulat ophthalmoblennorrhoea, quando ortum ducit ex applicatione locali materiei ab alio desumtae.

Nunc ad depellendam ophthalmoblennorrhoeam gonorrhoicam neonatorum aggredior. Utilissima est cura prophylactica, qua de causa omnium neonatorum, quorum matres leucorrhoea syphilitica laborant, aquis emollientibus, vel iis quae chlor solutum continent, oculi sunt humectandi et abluendi. Stadium hydorrhoeae eandem curam requirit, qualem in adultis nominavi, in secundo permulti solutio-

nem *Saunderi:* ℞ Zinc. sulphuric. gr. j, Aquae destillat. ℥j, Mucilagin. sem. cydonior. q. s.; vel aquam ophthalmicam *Schmidtii*, vel liquorem *Batii* omnibus reliquis remediis praeferunt. In neonatis pari modo gonorrhoeam in urethra per insitionem materiei ex alio gonorrhoico desumtae gignere, vel cum morbus jam eo processit, ut muci secretio locum habeat, hunc ipsum ex oculo effluentem mucum ad inoculationem adhibere in tam tenera aetate mihi absurdum videtur.

In ophthalmoblennorrhoea chronica principium curationis facimus iterum ab inoculatione gonorrhoeae, quo modo morbus ocularius saepe depellitur, quin aliis medicamentis egeat medicus. *Schwediauer*, *Uttenhofer*, *Fielitz* tales casus litteris consignavere. Praestantiur autem habetur, insitionem per irritantia remedia localia vel acria interna perficere, ac si materiem gonorrhoicam urethrae admoveas.

## Historia morbi.

*Joannes Eggers* miles pedestris viginti trium annorum, corpore robusto et temperamento phlegmatico praeditus die vicesimo

octavo mensis Aprilis in nosocomium militare receptus est, quo urethroblennorrhoea una cum ophthalmoblennorrhoea gonorrhoica curetur.

Aegrotus rem cum puella habuerat, quam esse syphiliticam, urethritis, quae quinque diebus ante secuta est, manifestabat. Paulo post, diem accuratius nominare nequit, quin temulenter aut negligenter et inscie materiam gonorrhoicam oculo adduxisset, dein immo, quin remedia praesertim injectiones adstringentes in usum vocasset, quibus gonorrhoea solito depelleretur, vel quin initium morbi frigus attulerit, nam secretio minime suppressa fuit, repente oculum dextrum dolore affectum sensit.

Exploratio atque contemplatio symptomata, quae sequuntur exhibuerunt. Photophobia permagna aegrotum haud aliter nisi capite deflexo ingredi permittit. Oculus dexter aeque ac partes vicinae valde intumefactae atque inflammatae se offerunt, idem de conjunctiva palpebrarum valet, quae tanquam luxuriata vel aggere circumdata, bulbum reprimebat et fere omnino tegit, nam conjunctiva quoque scleroticae rubra et carnis recenter

mactatae similis ad marginem usque tunicae corneae visa est. Materies quae secernebatur tenuis coloreque seri lactis, tam caustica fuit, ut partes quas super fluebat, eroderet atque rubesceret. Dolores vehementissimi atque acutissimi vexabantur aegrotum cum sensu, ac si bulbus ab omni parte comprimeretur et ex orbita evelleretur. Arteriae radialis pulsus valde frequens durus et plenus tangebatur. Oculus sinister morbo vacavit.

Statim per venam medianam sectam sanguinis unciae octodecim detrahebantur, unguentum mercuriale ad fabae magnitudinem omni bihorio fronti infricabatur, deinde adhibebatur fomentum ex infuso Belladonnae ex ℥ß parat. Tct. j, cum Acet. saturn. ℥ß. Praeterea omni hora Calomelanos granum unum cum sacchar. alb. gr. x porrigebatur. Nihilo minus vero jam post tres horas alter quoque oculus inflammatione corripiebatur et quidem tam vehementer, ut aliis tribus horis praeterlapsis nemo oculum, qui primarie correptus esset, dignoscere potuerit.

Sub vesperum neuter ob intumescentiam et photophobiam aperiri potuit, et sanguinis missio absque ullo in oculum effectu mansit.

Iterum libra una et dimidia sanguinis detrahebatur, ad utrumque oculum hirudines Nr. decem applicabantur, insuperque instillatio ex Calomelanos ℈j, Aq. Calcis ʒj, Aq. destillat. ℥ij, et ad oculum mundendum injectiones ex infuso Chamomillae adhibebantur. Hirudines avide et diligenter suxere, quo factum est, ut, quum hisce remotis sanguinem per horas fere duas fluere perhiberetur, multus evacueretur. Dolores lancinantes aegrotum valde febricitantem somno privasse, vix commemorari debet. Die sequenti intumescentia utriusque oculi multo magis adaucta apparuit, et etiamsi caute et providenter tangeres, secretum flocculentum effuse et rivi instar ex oculis prorumpit; neuter ab aegroto attolli vel aperiri potuit, et si haud sine labore et magnis doloribus palpebram inferiorem diduxeram et reverteram, corpus sic dictum papillare se obtulit. Cum venaesectione librae unius nunc tertium instituta, applicatio viginti hirudinum eodem scopo quo antecedente vesperi, conjungebatur, et Calomelanos granis duodecim jam sumtis eadem dosis et copia addebatur. Usque ad vesperum sanguis profluxit, et vix sisti potuit, frustra vero do-

lorum decessio vel reliquorum symptomatum remissio exspectabatur, intumescentia diminuta non conspicua fuit atque secretum uno tenore et largiter profluens partes quas tangit erodit. Noctem insomnis peregit aegrotus, et mane proh dolor in eadem miseria versatus est, immo in majori etiam, nam erethismus oculorum intensior evasit, et doloribus jamjam ad summum auctis molestiae prodromorum salivationis, ulcera mercurialia adnumerare debui. Quae ut arcerentur, Hydrargyrum muriaticum oxydulatum haud amplius porrigebatur, ejus loco Magnesiae sulphuricae ℥iß in Aqua destillat. ℥vij solutae omni bihorio cochlear majus sumendum praescribebatur. Infusum vero Belladonnae ab Aceto saturnino liberatum contiuue adhibebatur. De primo et secundo die mensis Maj. nil commemorandum est, si scias, lector benevole, medicamenta antea dicta per utrumque diem sumsisse aegrotum et alvum pluries duxisse, quin morbus mitigatus foret.

Die tertio Mens. Maji imperabatur:

℞ Hydr. muriatic. corrosiv. gr. vj
Aq. destillat. ℔ct. j
Tinct. Opii crocat ʒij.
M. D. S. Oculo instilletur.

et solutio Magnesiae sulphuricae Infuso Sennae composit. cessit, cujus omni bihorio cochlear majus sumsit aegrotus. Quinto demum die tumor oculorum paululum minuebatur, fluidum ex illis minori in copia secernebatur, lacrymae vero largius profluebant, praesertim post quemcunque usum aquae ophthalmicae dolores augebantur, qua de causa exponebatur, ejusque loco Infusum Belladonnae cum Acet. saturnin. denuo instillabatur.

Die sexto. Aegrotus sex dejectiones alvi habuit, medicamenta non mutantur.

Die septimo. Oculorum intumescentia delabitur, palpebrae vero nondum diduci possunt.

Die octavo. Profluvium ex oculis satis adhuc vehemens persistit, oculique ob lucis intolerantiam conclusi remanent. Ulcera oris post usum Hydrargyri orta late patent, lingua valde intumefacta ex ore porrigi nequit, quod odorem foetidum spargit salivaque abundat.

Die nono aegrotus in tepidario sedit. Usque ad undecimum hujus mensis diem mutatio valetudinis haud efficiebatur, photophobia minime diminuta est omniaque pericula, quibus partes oculorum internae inspici possint, in-

cassum facta sunt, palpebrae enim peraegre tantum et magno cum negotio diductae corneam torosam ab sclerotica coarctatam, et si indolem reliquam quaeras, superficiem illius vitri opacati similem cognoscere patiuntur. Ulcera quae ei insideant, invenire non potui. Aegrotus quotidie quinquies vel sexies alvum deponit, potui decoctorum specierum Lignorum sumit, et collyrium quo utebatur hoc est:

℞ Hydr. mur. corrosiv. gr. vj
Aquae destillat. ℥jj
Tinct. Opii crocat. ʒj
M. D. S. Collyrium.

Die 17. Secretio minus copiosa evadit, et dolores mitiores facti sunt.

Usque ad 15. diem Decoctum specierum lignorum aegroto porrectum est, balneum iterum adhibebatur, atque ad cantharides properabatur, retro ad aures applicabantur, quae ulcera excitarent.

16. Dolores per noctem iterum aucti mane ad topicam sanguinis missionem admonebant, quare ut indicationi huic satisfieret, conjunctivae palpebrarum utriusque oculi duae hirudines admovebantur.

17. Dolores paululum mitigati sunt. Si

aperiuntur oculi aegrotus dextro nonnihil, sinistro nihil videre valet, intumescentia quidem fere omnino evanuit, de partium internarum statu propter lucis intolerantiam, imo omnimodam aversationem attamen nondum intelligere queas; quod vero mirum, materies quae secernitur valde tenuis est.

Praeter exspectationem aegrotus ad vesperum dolorem intensiorem accusat; denuo sanguis e conjunctiva palpebrarum per hirudines quatuor emittebatur, et Decocto specierum lignorum Extracti Hyoscyami grana quatuor admiscebantur, insuper quoque Unguentum mercuriale ad fabae magnitudinem et vesicatorium ad nucham salutare credebatur.

18. Sanguis in tanta quantitate quidem per hirudines emissus, ut vix cohiberi possit, minus tamen dolores levavit quam spes fuerat, qua de causa tertium applicabantur hirudines eidem loco, etsi applicatio quaeque haud sine vehementibus doloribus instituebatur. Non immemoratum esse debet, oculos uberiores lacrymas fudisse quam pristinis diebus. Medicamenta reliqua non mutabantur.

19. Medicus superior iterum atque iterum sanguinis detractionem localem jussit.

20. Dolores tandem minus vexant aegrotum. Ut promptius materiei secretio minueretur, die sequenti collyrium hocce instillabatur:

℞ Zinc. sulphuric. gr. xjj
Aquae destillat. ℥jv
Tinct. Opii crocat. ʒj
M. D. S. Collyrium.

Ne longius sim, dies, in quibus neque symptomata, neque medendi ratio mutabantur, transmitto, et tantum addico, die 23. pharmacis hucusque interne adhibitis substitutam fuisse hancce mixturam:

℞ Extract. Hyoscyam. gr. xjj
Aq. fontan. ℥vj
Liq. Ammon. acetic. ℥j

M. D. S. Omni bihorio cochlear majus sumatur.

24. Zinci sulphurici dosis augebatur hodie, quod effectus ex illa nullus observatur, ita ut collyrium porrectum grana quindecim contineret.

25. Utrum nimis magna fuerit multitudo remedii adstringentis hujus externi, an alia ignota causa influxerit, — dolor iterum ab aegroto in oculo sentiebatur, quem adhibitio hirudinum quatuor parti internae orbitae admo-

arum extorsit; usus aquae ophthalmicae idem mansit. Mane sequenti dolor evanuit, immo aegrotus oculos aperire valet, quamvis photophobia post aliquot temporis spatium eos iterum concludere eum cogit; sufficit vero, ut, quales se habeant partes internae, contemplari potuerimus. Conjunctiva palpebrarum oculi utriusque torrosa, sarcomatosa et rubra occurrit, adnata ejusdem indolis corneam aggeris instar cingit eamque tamquam tegere et reprimere videtur, quo fit, ut haecce vesiculae arctatae instar promineat, dein oculi dextri cornea in ambitu suo omnem pelluciditatem amisit, et vitro opacato est similis, aeque corneae sinistrae perspicuitas omnino sublata est, et prima specie per cicatricem nunc conjuncta in medio antea dissecta fuisse videtur, cujus causa accusanda utrum ruptura an ulcera, extra omnem dubitationis aleam poni nequit. Breviter nunc dicam. Irritatio atque intumescentia in dies evanuerant, photophobia haud amplius molestavit aegrotum, nam visus magis magisque hebescebat, et penitus aboluit, immo proh dolor morbus in atrophiam transiit, antequam ptyalismus et urethroblennorrhoea sanata fuerant.

# VITA.

Ego *Joannes Henricus Eduardus Lohmeyer*, die XXVIII. mensis Augusti anno MDCCCV Angrivariae oppido Guestphaliae a patre ibidem concionatore, quem morte jam dudum abreptum maxime lugeo, et matre e gente *Wendt*, natus, confessioni evangelicae addictus sum. Rudimentis litterarum imbutus, septem per annos Gymnasium orphanotrophaei Halensis frequentavi. Anno MDCCCXXVI inter cives Instituti Medico-Chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, utriusque medicinae studio per quadriennium me tradidi et hisce praelectionibus interfui: De philosophicis Cel. *Wolff;* de botanice et historia naturali et toxicologia Ill. *Link;* de zoologia Ill. *Lichtenstein;* de physice, chemia et pharmacia Beat. *Hermbstaedt* et Cel. *Turte;* de encyclopaedia

medica, anatomia universa, nec non comparata et organorum sensuum, entozoologia et physiologia Beat. *Rudolphi;* de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Beat. *Knape;* de arte cadavera rite dissecandi Beat. *Rudolphi* et Beat. *Knape;* de physiologia Cel. *Eck;* de semiotice ac therapia, tam generali quam speciali Ill. *Frid. Hufeland;* de pathologia speciali et morbis mentis Ill. *Horn;* de materia medica et de fontibus medicatis Ill. *Osann;* de pharmacopoea borussica Cel. *Schubarth;* de arte formulas medicas concinnandi Beat. *Knape* et Cel. *Casper;* de chirurgia generali arteque fascias applicandi, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia tam theoretica quam practica Ill. *Kluge;* de morbis infantum Cel. *Casper;* de medicina forensi Ill. *Wagner;* Celsi de medicina libros Ill. *Hecker* mihi interpretatus est.

Institutionibus clinicis interfui medicis virorum Illustrissimorum *C. G. Hufeland, Bartels* et *Wolff;* chirurgicis Ill. *de Graefe* et *Rust;* ophthalmiatricis Ill. *Juengken.*

Peracto denique studiorum cursu in nosocomio caritatis Berolinensi per annum, deinde vero per tres annos et sex menses in

exercitu regio medici inferioris munus administravi.

Jam vero tentamine philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

# THESES DEFENDENDAE.

1. Gonorrhoea ad morbos syphiliticos non est referenda.
2. Perinaei sustentatio in partu regulari non necessaria.
3. Blennorrhoea nulla nisi ex inflammatione.
4. Venaesectio in tenera aetate non est secludenda.
5. Nulla certa signa Hydrothoracis.